

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Edeling

**IOACHIMI EDE=||LINGI POMERANI || HODOEPORICON || BOEMICVM.||
AVSTRIACVM.|| VNGARICVM.|| etc.||**

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., [1571]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn781616328>

Druck Freier  Zugang



Cq-1522¹⁻⁶
~~C.II.f.3041¹⁻⁶~~

6. Febr. 3041.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn781616328/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn781616328/phys_0003)

44927
x

IOACHIMI EDE-

LINGI POMERANI

HODOEPORICON

BOEMICVM,

AUSTRIACVM,

VNGARICVM.

&c.



ROSTOCHII

EXCVDEBAT IACOBVS LVCIVS.

ANNO M. D. LXXI.

*Evidito ac honesto Viro,
Duo Hieronymo Schyrlani
Lipensi, Autor ipse d. d.*

Cq - 1522³

MAGNIFICO ET A M
PLISSIMO VIRO, NOBILITATE, SA
pientia, auctoritate, & uirtute præstanti, D. HEN
NINGO vom Wolde, G V B E R N A T O R I Dicē
cessis Caminenſis, inclytorum Pomeraniae Ducum
Consiliario, Domino & Mecenati
suo colendo.

Nobilium uirtus & flos Henninge uirorum,
Et Pomeranorum pectus, amorq; Ducum.
Cum mihi sollicitam traheret dubitatio mentem,
Cui mea patrono carmina danda forent:
Hanc mihi Calliope placido pulcherrima uultu
Exemit soluens talibus ora modis.
Quid dubitas cui nam possis Ioachime dicare,
Carmina in Austriacis quæ tibi scripta uisse
Nonne tibi studijsq; tuis fauet optimus heros?
Qui bene de Sylua nobile nomen habet.
Nobilitatis honos patriæ lux aurea gentis,
Et columen nostri præsidiumq; chori.
Si minus ære licet, tamen illi carmine grates
Lætus age, & studij da noua signa tui.
Ne dubites plaeido capiet tua munera uultu,
Mens generosa animum, non data dona uidet.
Hoc igitur suadente Dea tibi dedico carmen,
A me quod facilis suscipe fronte precor.
Sic tibi concedat diuturnæ tempora uite,
Ut patriæ possis utilis esse, D E V S.
Ioach. Edelingus Pasualcensis.

IOACHIMI EDE-
LINGI ITINERA, QVÆ
DEO DVCE, CVM PRÆCEPTORE
suo, D. Davide Chytreo, Anno 1568. &
1569. feliciter confecit.



Sol ex x^r
Hœbus ab extrema Chironis
parte recedens,
Vicus radijs Ægocerotis
erat.
Vicusq; ipsi brumæ, qua na-
scitur olim
Annorum finis, principi-
umq; Deus.

Auspice quo: doctoq; simul præente Chytreo:
ingredior longam, te duce Christe, uiam.
Interea Varnus roscis plenissimus undis,
Et ualeant Christo grata Roseta scholæ.
Me præceptor i comitem procul ire iuuabit,
Inclita quo pietas, officiumq; uocat.
Austriacis etenim Maxæ mylianæ in oris,
Permittens puræ relligionis opus:
Iuss'erat arctois hunc ipsum accersere terris.
Vtq; salutari cepta iuuaret ope:
Venerat ex illa legatus Cæsar's ora,
Maimigeræ præstans nobilitatis honos

A 2

Christo

Christophorus: Traisi ad ripas, qui possidet arcem,

Quæ nucis, & pagi, nomina iuncta, tenet.

Hic patruelis suo, ceu dux Troianus, Achate,

Et Lastbergero concomitatus erat.

Hoc duce progredimur: comes & Posselius ibat,

Et decus, & nostræ, gloria magna, scholæ.

Cum pede conscendo currum iam certus eundi,

Has fundo cupidias, sole oriente, preces:

Austria iustitiae solis dum flagitat ortum,

Nos & ob id longum suscipiemus iter,

Nos, precor, infirmos, nec tanto munere dignos,

Sidereo, præsens, flamme, C H R I S T E rege.

Tu defende tuam, uincat tua gloria, causam,

Dum tua res agitur, tu pia cœpta iuues.

Tu rege conatus nostri Dauidis, & adde

sunar. Robora, ut omne tibi C H R I S T E probetur opus.

Vixmariam portu celebrem, lux prima, marino,

Nos duxit: roscos sol ubi condit equos.

Adiacet huic conclusa mari Pola insula, princeps

Dianæ studijs tunc ubi captus erat. v. Venabat

Magnus Iohannes Albertus, iusserrat ille,

In reditu paruas nos tolerare moras.

Ductorem interea nostrum iuuat ire Lubecam,

Quæ decus arctoi est, atq; corona, maris.

Quos seruaret ibi sacros Ecclesia ritus,

Noscere suadebat religionis amor.

Insuper & naues, quæ sex gessere per annos,

Maxima cum Suecis, cernere, bella, cupit.

Cum

Cum populo grates in templo pastor agebat,
 Illo profacta tempore pace D E O.
 Quæ sex continuos est sepe petita per annos,
 Hei mihi : sed stabilis non fuit illa diu.
 VVismariæ, geminæ Tilemannus Stella diei
 Colloquijs longas non finit esse moras.
 Principe, Vuitburgam tandem, mandante, uocamur,
 Vrbs ubi Suerinum primò adeunda fuit.
 Tangimus hanc ipsa Nicolai luce Myrani,
 Et nos Leucoreon, luce sequente, uidet.
 Illic suauiloquo dux illustrissimus ore,
 Est felix nobis mane precatus iter.
 Huius ad exemplum, nobis quoq; fausta precantur,
 Crusius & ducis & nobilitatis honos.
 Husanusq; sagax animo, Myliusq; disertus, Jota: Confiliella.
 Consilijs magno carus uterq; duci. Andreas.
 Inde ubi Beiza minor maiori confluit Albi,
 Constrictas glacie mox superamus aquas.
 Pergimus, & celeres Lunæ succedimus urbi,
 Quando à discessu quarta bis orta dies.
 Vrbs ea non domibus solùm, uberibusq; salinis,
 Naturaq; loci, præsidijsq; uiget.
 Splendida sed magis est sancto & sapiente senatu:
 Et sacra sunt fausto templa, scholæq; loco.
 Hic proceres nobis, generosa & larga Lyæi,
 Munera dant, curis que medicina forent.
 Musica quin nostras recreabat nobilis aures,
 Contendens numeris ô Philomela, tuis.

A 3

Sod. 3 4
 Wit.
 Henr. 5
 Boit. 5
 Leda 6
 761. o. 1
 2 Ba
 3 Br
 4 wa
 5 Eu

Gymnas. 1. c. 2
 2. 3. 4
 5. 6. 7

Gymnasiarcha etiam Lenicerus, & alter ab illo
Eccl. Loſius inuita ſedulitate ſenex.
Præcipuiq; alij pietate & arte politi,
Nos recreant ſtudijs, colloquijsq; ſuis.
Hic mihi templa, ſchola, mox curia uifa, uetustos
Brunſuigæ pingens Saxonia q; duces.
Que mihi non iucunda minus ſpectata fuerunt,
Aurea quam multis pocula uifa tholis.
Quid fontes memorabo ſolis? quos ante trecentos
Annos, uberioris proſilijsſe ferunt.
Oppidulum quod Vlyſis habet de nomine nonen, Vſſr.
Re. Hospitium in ſummo præbuit inde gelu.
Mane resurgeentes templorum limen adimus,
Ac Euangeliſ ſumma, caputq; fuit:
Quod ſua Iohanni miracula nunciat, orbis
Et ſe Meſſiam C H R I S T V S adeffe docet.
Aubriacis ualde ritus placuere ſacrorum,
Urbanus quorum Regius auctor erat.
Id. Lunenburga tuas ſed mox transimus ericas, Lunenburg.
Exciperet ſolis cum Capricornus equos. gar huijde
Altera Brunſuigæ donec lux dicit in urbem,
Que tua fundator nomina Bruno, tulit.
Id. Aucupis Henrici hic patruus fuit, optimus armis:
Urbis ut ingenium Martia facta probant.
Urbſ ſincera, frequens, populosa, celebris, & ampla
Religione, ſcholis, ciuibus, arte, ſiu.
Excipimur dubia Doringo à Consule coena,
Participes urbis lumina cuius erant.

Hinc

Hinc sumus egressi uicinam in principis arcem,
Cuius habet nomen syllaba prima lupi.

Dux sed habet magna titulum Brunonis ab urbe,

Cum primo proprium Cœsare nomen idem.

Mirantur reliqui molem, fossarq; profundas,

Et que præterea confacienda forent.

Ast apud Andream Iacobum fallere tempus, D. Jacob.

Interea nobis Chemnitiumq; placet.

Principis auspicio magni qui dogmata C H R I S T I, totu^m ror.

Instaurant monitis, consilijsq; pijs.

Inde Halberstadtum, sacri antiquissima sedes

Præfulis, in stricto frigore uisa patet.

Hac luce in roseo tres soles uidimus ortu,

Quæ ter sexta dies forte Decembris erat. 18.

In mentem reuocant qui nobis docta Philippi

Carmina; quæ cecinit talibus ipse modis:

Spargit ut in toto lucem, sol unicus, orbe,

Viuifcoq; unus cuncta calore fouet:

Vnicus æterni sic natus mente parentis,

Accendit radijs, pectora nostra, suis.

Hei cur plura tamen solis simulacra uidentur,

Et uacuo mendax ludit imago polo?

Doctrinæ fingenit aliqui ludibria forsitan.

Adiçscent alias dißidijsq; faces.

Sed tu Gnate D E I longe mendacia pelle,

Concordes animos lux tua sola regat.

Mox Quedleburgensem ad dextram confeximus urbem

Aucupis Henrici que studiosa fuit.

Ranck A 4

Qui

per. Qui sibi præ reliquis urbem delegerat istam.

Vuipperia uisa prius non procul inde fuit.

Venimus Ascaniam cum iam tinxisset Ibero,

Gurgite, defessos, temporis auctor, equos.

ns. Hic ubi consueto sacra more peracta fuerunt,

Hospitium nobis Condera uile dedit.

Köndern.

Qua fuit insulsus nec dignus laudibus hospes,

Omnis enim illius cesserat ore pudor.

der. Cernitur hinc nobis fumantibus Halla salinis,

Halla uiris doctis, diuitijsq; potens.

Hall,

Fontes

t. Doctor ubi hospitijs nobis Freudmanne prioris,

Salis.

lli. Colloquijs uarijs tædia cepta leuas.

xc. Luce sed exceptit nos Lipsia clara sequenti,

Emporiu-

Quæ Thome, horrenti frigore, sacra fuit.

5. Nuper ubi Austriaco Camerarium ab orbe reuersum,

Prima fuit nobis cura uidere senem.

Joh. imn.

p.. Qui nos forte duas horas sermone senili,

Dectinuit, prudens consiliumq; dedit.

Neuius inde senex medica clarissimus arte

D. Nonig.

Est uisus, postquam Lucifer ortus erat.

Tunc sacra lustramus teneris collegia Musis,

Attamen in primis quæ sacra Paule tibi.

Pauhini

Ac Ducis Augusti ualidas inspeximus arces,

Collagiu-

Arcibus & similes ciuium in urbe domos.

olm. Cap.

Dulcia mittebat nobis & uina senatus,

nobis?

Moris ut in magnis urbibus esse solet.

Progredimur celebrem curru post prandia Grimmam,

illius

rim. Carmina ubi fundis grat a Sibere D E O.

Adam

Illiis & plantas cœlestem in moenibus hortum,
Dum uera pueros in pietate doces.

Luce sequente niues inter, glaciemq; uagamur,
Luminum carpit dum rota nostra uiam.

Nocte iterum pulsa, solis simulacra uidemus.
Qualia perpaucos uidimus ante dies.

Albis & adspicitur glaciali compede uinctus,
Natali ille tuo C H R I S T E profestus erat.

Misera quo nobis portas patefecit amicas,
Et iussit festos hic celebrare dies.

Fabricij ingredior magni conclave poëtæ,
Cuius ut est dextræ dextera tacta meæ:

Clare uir, & patriæ decus admirabile, dixi,
Cuius ob ingenium Teutona terra stupet.

Dauidem memini clarum pietate Chytræum,
Hos de Fabricio sœpe dedisse sonos.

Fabricius magno melius demonstrat Homero,
Æterni quod sit Musa ministra D E I.

Colligit à Musis sua carmina doctus Homerus,
Numine Fabricius nobiliore canit.

Nobiscum peragunt tua culta poëmata cursum,
Et comites gaudent huius adesse uiæ.

Fallimus in te^{to} nonnumquam tædia curru, *In brachia*
Alloquimurq; D E V M uoce, lyraq; tua. *Wagen*

Nunc iuuat Angelicos cœtus, hominesq; D E V M q;
Carminis harmonia concelebrare tui.

O nimium me felicem cui contigit ultro,
Adspectus tanti colloquiumq; uiri.

17
Lan

Gear.. Mej
87

VI

A 5

Ut ueluti teneris te sum miratus ab annis
Ignotum, notum sic pietate colam.
Hec ego Fabricio. Austriacis, qui splendida uini,
Dona dedit, pueri sic decorata modis:
Det D E V S hunc Auguste potens tibi celitus annum,
Ut prosper C H R I S T I numine, Cæsar eat.
Si tq; uiri uobis doctrina, & stemmate clari
Felix, pro patria quos pia cura mouet.
Eximium uobis hec offert propter amorem,
Hospitibus præsens munera Fabricius.
Paruos parua decent, nec amici munera spectant,
Que uobis C H R I S T V S magna daturus erit.
Ille regat uestras, sacrato numine mentes,
Suscepit asq; bonus hospit et ille uias.
Gloria Cæsareas surgat tua C H R I S T E per urbes,
Pax detur regnis, pectoribusq; salus.
Pectori dum grato festum celebramus & ore,
Tres & dimidiis præteriere dies.
Interea frigus rigidas dimisit habenas,
Et soles aliquot mitior aura fuit.
Hinc ducis Augusti Dresden transiuiimus urbem,
Pons ubi cum pulchra saxeus arce iacet. *Maur. hy*
Vrbs sed Birna die hospitium prebebat eodem, *Exclusit*
Quam prope Gotlebius confluit Albi tibi. *int.*
Hic Luterbachius, cano uenerabilis ævo, *Georgij.*
Nobis in coena (sed malè firmus) adest.
Ille tibi quondam, dulcis cum uita manebat,
Primus amicorum, diue Luthere, fuit.

Vnde

Vnde loco xenij nobis, sibi missa, Lutheri,
Scripta notata manu, muner i grata, dedit.

Mane nouo fessos montosa Boemita currus,
Accipit arx Regni Maximiliane tui.

Longa ubi dat primam nobis Petrosylua noctem,
Hic habuit finem Teutona lingua suum.

Prandia in Ausiaca solummodo sumpsinus urbe,
Lubasij in scanno sed fuit inde torus. Lebusijs.

Hinc uia Vuelberium ducebatur ab urbe Budino,
Ægra ubi spuniferas influit Albis aquas.

Felici auspicio Pragam concendimus altam,
Anni ubi postremus lucet in orbe dies.

Hic fuit hospitium nobis prope Cæsaris arcem,
Altera quam nobis cura uidere fuit.

Vndiq; diuinas hinc est despectus in urbes,
Per quas latiūago flumine Multa fluit. Molde.

Splendida quin etiam Regum, arcis in æde, sepulchra,
Marmoreis statuis conspicienda nitent.

Carolus hic Blanca cum coniuge nomine quartus,
Et Vuenceslaus, Cæsar uterq; cubat.

Quos apud elegit fatalem proximus urnam,
Ferdinandus genitor Maximiliane tuus. 1569.

Vxor ad illius dormit latus Anna sinistrum,
E cuius tumulo disticha scripta noto.

Est situs in templo Bretslaus, Solis ad ortum,
Dum sequitur, misere qui cadit ense, feras.

Hanc quoq; Borzinous Dux est translatus ad ædem,
Exul in Vngarica qui regione perit.

2
Petrus

Eva

22
Aus

Ego
Filius

23
Lub

2
Vel

22
Pr

Mart

lis

gi

Rex

Rex etiam Ottocharus fuerat qui nomine quintus,
Hic placide requiem post sua fata capit.
Non procul Ottocharus tenet hinc Rex tertius urnam,
Qui gesit ualida plurima bella manu.
Nulla sed illorum decorabant carmina tumbas,
Nec uetus Reges Pieris ulla mori.
Quod nitidum fulgens reddunt alabastra sacellum,
Hac quenceslaus diuus in æde tenet.
Martyris hinc manibus suggestum tangimus Husi,
Quo uero docuit religionis iter.
Parum structa sacris lustramus et atria Musis,
Attamen in primis Carole Quarte, tua.
Hic et in angustum museum ducimur Husi, *Johannes*
Eius adhuc dextræ quod monumenta tenet. *tunc sij.*
Hic opere precium duxi describere metrum,
Quod nostris addam conueniente loco.
15. Pro Christo VITAM CLAVSISTI CLARE Iohannes,
Hoc anni numerum, quo perit uetus, habet.
Pieridum nobis aderant duo lumina fratres,
Nobile qui à paruo codice nomen habent.
Adsuit his Thomas uero cognomine, Mitis,
Pectore nam mitis, mitis et ore fuit.
Præbuit hospitium post Broda Boemica nobis,
Cum tua splendor et, Iane, secunda dies.
Tertia Zasluiam uero lux pergere suscit: *Szosslaw.*
Vix alia maius uidimus urbe forum.
16. Carmen ubi in tumulo uir felix, fortis, et acer,
Dux Hussitarum Zisca sepultus habet:
Johannes. 1418. Husse

Husse tuus uindex iacet hic dux Zisca Iohannes,

Supplex Sigmundus cui quoq; Cæsar erat.

Et quoniam bustis clarent loca multa, sepulchro

Zisce, Zaflauiae fama superstes erit.

Illiis hic etiam multis suspensa uidetur,

Quæ peperit monachus ferrea clava necem.

Teutonicæ, comitis Turreni hinc moenia, Brodæ,

Nos ratio coepit cogit adire uiae.

Nos comes inde senex inuisit in urbe Vienna,

Nobiscum & patrio prandia more capit.

Obstructis niuibus per montes faucibus altos,

Tributum uersus non patuere uiae.

Ergo Triglauiam de flumine nomen habentem,

Vrbem Morauiae uisere cura fuit.

Iamnitio imposito monti, Steneroq; relicto,

Deuenimus Dirnam, quam prope Deia fluit.

Dumq; sequi damnosa iuuat compendia, sæpe

Error in ignotos nos rapiebat agros.

Per rigidos donec montes, sylvasq; niuesq;

Tandem eluctatos Austria terra capit.

Diximus heroum genitrix pulcherrima salue,

Felix cum Dominis semper & esto tuis.

Austria uirtutum mater clarissima salue,

Innumerabilibus mirè opulenta bonis.

Filius æterni patris tua coepit secundet,

Nominis ad laudem tempus in omne sui.

Pontificis tandem nugis, tenebrisq; fugatis,

Hunc colere ut uera religione queas.

Brode

Tribut

Tri

Dir

Der
Flu

Oppidu

o. Oppidum inde rota petimus properante Serenum,
impositum fluui, turbide Campe, tuo. Campus?
rm. Quo Purchamerus nos humanissimus hospes,
Officijs recreat, dignus amore, suis.
Memnonis ut genitrix pulsis fuit orta tenebris,
Sacra dies templi limen adire monet.
Pictore & ore D E O meritas ac soluere grates,
Huc quod nos saluo duxerit usq; gradu.
Preco D E I historiam pueri tractabat I E S V,
Quomodo in æde sacra cœlica iussa docet.
Et puer inflatos uincit ratione Sophij,
Hacq; probat uerum se ratione D E V M.
3 T. Littera ductoris sed nos uocat inde Cremissam.
inus. Cremsa ubi Danubij largiter auget aquas.
Ilic ex procerum Delectis adfuit unus,
Non dubito summo sic moderante D E O.
Hic Leopoldus erat Grabnerus amabilis Heros,
Flos atq; Austriacæ nobilitatis honos.
Qui nuda Montis dominatur in arce Rosarum. Rof.
Quam lambit uitreis Campus amoenus aquis. Lug.
Leius ob aduentum nostrum, nos ille benignè
Excipit, in nonum detinuitq; diem.
Ad reliquos donec misisset scripta Viennam,
Chytræ aduentus nuncia scripta tui.
Sed ueluti quondam losedeci natus Iesus,
Instaurans Solymæ templa, domosq; pie,
Dextrum habuit Sathanam, qui coepit fidelia technis,
Repprimeret, longas iniaceretq; moras.

Cesareo

Cæsareo sic permisso, dum dogmata CHRISTI,

Restituunt celebres religione uiri:

Commendunus adest, quem Papa uicarius Orsi,

Miserat, incepsum qui remoretur opus.

Omnibus atq; modis rapere ad contraria Cæsar

Conetur mentem Maxmilliane tuam.

Increpet æternis Dominus te pessime poenis,

Conterat insidias improbe Papa tuas.

Elegit Solymam Dominus qui maximus urbem,

Dirigat hoc ultro quod bene cœpit opus.

Extra turrigeram uero expectare Viennam,

Nobilium procerum nos pia cura iubet.

Principiumq; nouæ formare iubemur Agendæ,

Monstrantis uerae religionis iter.

Interea solum sic re cogente Viennam

Mittere me, placuit clare Chytræ tibi.

Cæsare conspecto, proprio, redeoq; Cremissam,

Itq; mihi Albinus doctor, in axe comes.

Chytræ interea est iunctus collega Riterus,

Carus ob eloquium iudiciumq; suis.

Austriacis primos inter qui sparsit in oris

Doctrinæ ueri semina pura D E I.

Integritate sua, meritis, pictate, fideq;

Præcipuis gratus nobilitate uiris.

Nos Euangeli Gangolphus præco salutat,

Sæpius, & Moses rector in urbe schola.

Reitero placuit suadente recedere Spizam,

Posset ut hic nobis aptior esse locus.

Logar

Ponh

cis

ter m

37
vitiferi Spiz

Vitiferi totam concludunt undiq; montes,
Ister ubi angusta ualle coarctat aquas.
Marmoreo templo, domib; q; ornata superbis,
Hic Euangeliū uox quoq; pura sonat.
Comica Romanis nobis spectacula uerbis,
Ulius exhibuit turba pusilla scholæ.
Moribus & Musis culti pleriq; fuerunt,
Quos penes oppiduli publica cura fuit.
Hic Kirchbergeri Leonardi Martia sedes,
Rupe sub aërea conspicienda iacet.
Vix habuit uiuens alium pietate priorem,
Posthabitis nugis, impie Papa tuis.
O utinam tanta similis pietate Tobias,
Vnicus existet filius ille patri.
Ulius in librum Phœbo distante notauit,
Dextera Chytræi disticha quinq; manus.
Nobilitas, uirtus uera est, pietasq; fidesq;
Quam genus exornant, diuinitatq; patrum.
Tale Leonardus specimen Kirchbergus autem,
Floruit Austriacæ nobilitatis honos.
Cui pietas cordi uerè fuit inclyta uirtus,
Qui C H R I S T O , uero pectore amicus, erat.
Exemplum patris prælustre sequere Tobia,
Sic C H R I S T O uerè nobilitatus eris.
Haec tibi uota pio fundebat corde Chytræus,
Vitifera hospitium cum tua Spiza daret.
Vallibus his non Peneus, non Thessala tempe,
Certent : cum Tauri sidera Phœbus habet.

Quis

Quis numeret pomis l^etos crescentibus hortos?
Qui colles propter Danubiumq^z iacent.
Attamen in primis Reitero Sualbacis unda
Grata est, nec toto carior orbe locus.
Oppidulis Spizam multi uenere propinquis,
Vna quibus pietas Christus & unus amor.
Attamen Ernestus sancto à Michaële frequenter
Hic Neuackero concomitatus adest.
Labitur hic nobis hyemis pars tota sequentis,
Vallibus in gelidis hospita Spiza tuis.
Landouio nupsit Grabneri naia Sophia,
Ingressus pisces Phœbus ut ante fuit.
Magnificam thalami pompam spectamus in urbe,
Que sua de Cremse nomina traxit aquis.
Versibus hunc doctus Græcis Posselius ornat,
Ornat & hunc numeris nostra Thalia suis.
At pars interea Chytræ magna laboris
Exhausta assidua sedulitate fuit.
Reiteroq^z comes claram fert scripta Viennam,
Posselius, proceres ut simul ista legant.
Ante fuit paulò timide quam portitor Helles,
Excepit celeres solis in axe rotas:
Cum iam per purcum uer prorsus adesse putamus,
(Nam modo se tenero gramine uestit humus)
Ecce niuem subito uiridantibus illinit agris,
Frigus, ad Aprilem que diuturna manet.
Austriaci meminisse senes potuere nec umquam,
Frigore tam longo quod riguisse hyems.

B

Cesareo

Epit.
mi

Longa defessos tandem statione, Viennam
Nos celeres procerum scripta uenire iubent.
en. Danubio naui descendimus ergo Cremissam,
Grabnerus patriæ lux ubi clarus adest.
Conscendisse simul nauem qui gaudet eadem,
Ad Maimingerum gaudet & ire comes.
Hic quoq; se pariter comitem uenientibus addit,
Dicit ad hospitium nosq; Vienna tuum.
Salve Christiadum quæ iam tria secla fuisti
Arx atq; imperij pulchra Vienna caput.
Esq; (uolente D E O) semper sine fine futura,
Ister in Euxinum dum mare uolunt aquas.
Ordinar unde tue uerum præconia laudis,
Ingenij superas flumina parua mei.
Splendorem sit fas alijs celebrare domorum,
Dum Ducis est magni regia queq; domus:
Ardua, cum uastis, & propugnacula foſis,
Quo nec in Europa firmius extat opus:
re: Et que Pyramidum, Stephani pinnacula turris,
vincere structuras, arte, opibusq; queant:
re: Quanta sit uertas uini, quæ copia rerum,
Urbis largifluæ testificantur opes:
Magnificos procerum quos partim uidimus hortos,
Multaq; præterea qui uelit ille canat.
Me faciem uidisse tuam inuictissime Cæsar,
O caput imperij, Maxmiliane iuuat.
sma. Non abauo, tritauo, proauo, patruo, atq; parente, Furii
Imp: Inferior, non hoc quem regis orbe minor.
forty Fride: Maxy: i: Carolo. v.
Cool: 100

TII

Tu data sceptrata tenes, moderatè his uteris ipsis,

Orbis deliciae, maximus orbis amor.

Hinc ornata uiris quod claris omnia florent,

Regibus & regnis unde paratur honos.

Qui modo Cæsarcos distincta classe senatus,

Laude regunt, retinent iustitiaeq; decus.

Insuper Aonijs Academia sacra Deabus,

Hic uiget eximijs cognitione uiris.

Hac in Teutonicis nulla est antiquior oris,

Aut doctrinarum nobilitate prior.

Totq; Professores Medici, legumq; periti,

Nos ibi fraterna qui coluere fide.

Nec mibi Sambuci uarijs conferta libellis,

Prætereunda recens Bibliotheca fuit.

Hic manibus scriptos Graios, ueteresq; Latinos

Auctores, fœdo qui latuere sunt.

Gentibus è uarijs collectos undiq; cernis,

Gratum, & mirandæ sedulitatis opus.

His antiqua simul congesta nomismata mundi,

Partibus è cunctis, annumerare decet.

Maimigeri ista domus seruat Victoris, adeptus,

Nomen ab insigni est qui pietate, Lothi.

Quid tibi iam procerum miranda palatia narrem?

Quid recitem sedes Cuspiniane tuas?

Quid Lasij & celas memorem quid Cæsaris arcess?

Quas Celsus etiam sat celebrare nequit.

Hunc Maro, Mœonidesq; alter perferrre laborem,

Ponderis oppressus uix grauitate queat.

Gymn

a/ie m

Bio

t

105ā: Sa

Hem

Hospit

Largibj.

B 2

Hospita præbebat nobis hic tecta Moserus,

Vir grauis, & uera religione amans.

Illi⁹ & coniunx specimen uirtutis auitæ,

Materna fuit nos, aluitq; fide.

Publica mensa fuit nobis, aditusq; patebat,

Omnibus hac una qui uoluere frui.

Nec semel illustres nos accessere Barones,

Aut alij insignes nobilitate uiri.

Non minus & nobis quoq; consuetudo uirorum

Doctorum, quo quis tempore grata fuit.

Sed differrentur cum sancta negotia, quorum

Causa Danubij nos uad⁹ pulchra tenent.

Nobilibus iuuat ire uiris comitantibus Orthum,

Arx tua Salmenſis que fuit ante comes:

Et sua facunde Domine nunc limina præbet,

Zinzendorphiaca que procreata domo est.

Arci contiguus iacet huic amplissimus hortus,

Humeat gelidis quem celer Ister aquis.

Hinc ueterum Marcmannorum peragruimus agros,

Prædia Grabneri post subiſſe placet.

Prædia cui dederant septeni nomina fontes,

Clara, sed à Domino nobiliora suo.

Hinc amplam, & uastam celeres intrauimus urbem,

Angulus huic Morauæ nomina clara dedit.

Qui fluuius dirimit Morauos, & Pœonas, olim

Limes & hic fixus regni utriusq; fuit.

Danubio, & Smecha traecto, cernimus inde

Arcem Eberstorphum Maxmiliane tuam.

Danubij

Danubij medijs Paradisus clauditur undis,

Visere quem nobis proxima cura fuit.

Inde receperunt claræ nos testa Vienne.

Cum decima à Maij tertia uisa dies:

Decidit en pluviæ (dictu mirabile) mixta

Nix grauis, & totum durat iniqua diem.

Quod nos ad gelidas uix unquam uidimus arctos,

Maius ubi multo mitior esse solet.

PEr Geminos Phœbo fratres redeunte Lacenæ,

Plebs Urbane tibi rustica sacra facit:

Cum sumus ingressi fido comitante Ritero,

Vngaricum (rerum quod mora suasit) iter.

Austriaci proceres hos claræ stirpis alumni,

Addiderant comites, præsidiumque uiae.

Mainigerum bonitate sua, & candore probatum,

Qui bene Victoris nomen & omen habet.

Nobilis huic Spanius, iuuenilibus integer annis,

Gaudet & Heibergus Carolus ire comes.

Danubij in ripa properamus ad ostia Fischæ,

Que prope dant gratum rustica testa torum.

Manc Petronellam tenebris à Sole fugatis,

Ocius incepsum continuamus iter.

Carnuntum ueteres ubi monstrat grande ruinas,

In quibus urbs hodiè tota sepulta iacet.

Hic sua Germanis castra opposuisse Neronem,

Tiberium quondam, scripta uetussta docent.

Hicque salutatur primùm caput inde Seuerus

Imperij Cæsar, bellica Roma, tui.

10. M

Die

B 3

Teutonica

Teutonicæ hinc therma^s uckeris, transiuimus, arcis,
In quarum calidis sanat alumen aquis.

Nec procul Hamburgum est: Moraue ē regione uidetur
Ostia, Danubio iungitur ille suo.

Hunc ubi paulò infra traieciimus: ardua, nostris
Moenia Pisonis curribus inde patent.

Cum medico Purkirhero, Sambucus in urbe Iohannes.

Nos patria, Vngarica lux regionis, adit:

Quo ductore gradus altæ conscendimus arcis,
Cernimus & pulchrum quicquid in arce fuit.

Eximius grauitate senex Mordaxius, in qua

Captiui curam Saxonis acer habet. Iohannes: fridericus.

Hospitiis mittit nobis hic uina senatus,

Lecti ex Teutonica non nisi gente uiri.

A Suberlichio ualde tractamur amicè,

Qui sapiens consul sustinet urbis onus.

Legatuq; Buda Camerarius urbe reuersus,

Colloquijs longum non sinit esse diem.

Se duo non procul hinc in brachia diuidit Ister,

Et Schytiam tutis claudit utrinq; uadis.

Rursus apud ualidam concurrunt illa Comorram,

Se quoq; disiunctis quo Vuagus addit aquis. Wag.

Quinquaginta tenet mille hæc longissima passus,

Bis decem at illorum millia lata patet.

Thessala non tempe, Bataui uix pascua certent,

Illi eximia cum bonitate soli.

Cedite Niliaci, Siculorum cedite campi

Nescio quid Schytia pinguis orbis habet.

Excipit

Excipit ingressos hic nos domus hospita Dasky,
Et dant Vngaricum stragula dura torum.
Ipsius in culto noctem requicuerat horto,
Qui regit imperij Maximilianus opes.
Ille Comorrensis praeses ius arcis habebat,
Cernere quam nobis luce sequente licet.
Hic extrema ferè sunt propugnacula nostro
Tempore Christiadum, que brevis orbis habet.
Captiuos tenet hic multos custodia Turcas,
Quos labor, æternum seruitiumq; premit.
Vndiq; supremæ partem lustrauimus arcis,
Pars simul inferior quidquid & arcis habet.
Multæ Getis tormenta necem minitantur ab arce,
Quæ procul acta nitri puluere saxa uomunt.
Vidimus annonæ quantum, quot uidimus arma,
Bombardas, gladios, spicula, tela, globos.
A muro Turci latissimæ regna uidentur,
A Sclymi diro regna subacta patre.
Nanq; hinc Buda gemens uix octo millia distat,
Strigonium subita ueneris inde rate.
O nimis horrendam commoti numinis iram,
O admirandum iudiciumq; D E I.
Quod prope blasphemos adçò procedere Turcas,
Passus ad usq; tuas Teutona terra fores.
O quondam Vngaricum florens, & nobile regnum
Vastatum miserè quod modo penè iacet.
O utinam regum, nostris Heroibus esset
Matthie uirtus, Huniadaq; patris.

Mattiasco. B. 4 Agnoscenda
lo 5. Huniadaq;

Agnoscenda DEI bonitas tamen ista, ruinis,
Seruat in Vngaricis dogma quod ipse suum.

Sicut in urbe Buda Selymus, totasq; per oras,

Imperij, CHRISTO publica templa sinit.

Sic Ecclesiolum sibi CHRISTVS seruat ubiq;

Hostibus in medijs estq; manetq; DEVS.

Cum uero ulterius non esset pergere tutum,

Et regni reliquias huius adire plagas.

Vrbem etenim nemo cupiebat cernere uinctus,

Quæ Constantino à Cæsare nomen habet.

Iussus ad occasum cursus auriga reflexit,

Scaurinumq; rota non remorante petit.

Arrabo quā magnum fluuius se fundit in Istrum,

Eius & rapidis nomina perdit aquis.

Vrbs iacet & uasto firmatur ab aggere, saeuos

Excubat aduersus quæ uigil usq; Getas.

Eccius à Salma comes, & fortissimus heros,

Dux erat, & rector, præsidiumq; loci.

Ille sue nobis mittebat fercula mensæ,

Alloquio comis, strenuus en se senex.

Nona bis à decima lux mensis ut orta reluxit,

Qui de Mercurij nomina matre tulit.

Qua centum ante, decem, capitur sex insuper annos,

Byzantina tuis urbs Machomete Getis.

Vngaricam curru ueterem properamus ad arcem,

Arrabo traiectus flumen ut ante fuit.

Hic uisuntur agri qui non renouantur aratro,

Non tamen interea fertilitate carent.

Arrab flūnq.

Hinc

Hinc Neosidelo noctem requiescimus urbe,
Ad Pisonis, ubi sunt bona uina, lacum.
Post uidet Oedburgum nos, prisco tempore cuius
Nomina Sempronium prima fuisse ferunt.
Quæ bonitate tuo certant Epidaure falerno,
Ciubus hic Bacchus dulcia uina dedit.
Urbis honorauit nos cum pastore senatus
Grengilio, his animum significante suum.
Cum Siculo Crellerus item reuerenter amorem,
Declarant nobis, tuq; Firere, suum.
Posthabito Vuolca, ferro quod nomen habebat, Eysen/has
Vueisbriaci castrum nos uidet inde senis.
Cum benedixisset nobis de more Riterus, Weyß
Atq; ibi tractasset dogmata mane D E I. Weyß
Trans Leitam uehimur: mox grata Neapolis olim,
Conficitur, proauo Maximiliane tuo.
Hic placet in culta templum quod cernimus arce,
Cæsar ubi bustum Maximilianus habet. Max. I.
Diuorum hac etiam paßim spectamus in arce
Reliquias, sub qua Cæsar humatus erat.
Magnanimus celsæ Leiserus præfuit arci,
Vndiq; qui noster ductor in arce fuit.
Cuius fratre Sigismundo duce tempore meßis,
Gaudemus patrios rursus adire larcs.
Quatuor ex natis hic Cæsar is esse uidemus,
Hac quibus in studijs arce palestra fuit.
Dalingere senex multis præceptor ab annis,
Austriacæ hic nobis, nobilitatis ades.

36
Nrv
drl

37
Sop
m
Oedb

3
Weyß

3
ac

3
Ley

3
por

3
Xvi

3
N. Ley

Capitu

B 5

Prima

- Prima dies claro cum lucet in æthere mensis,
 Qui louis à summi coniuge nomen habet.
Birsinga celeri superato, & flumine Fischa.
 . Venimus ad Thermae parua Badena tuas. Flu.
wij.
Sulfureis ubi fumat aquis fons, languida morbis,
 Corpora, curandi uis quibus acris incit.
 Naiadas, & iuuenes mixtum, dominasq; superbias,
 His manibus iunctis nare uidemus aquis.
 Per tempe hinc iterum properamus amoena Viennam.
 Hæc loca nam blandus ceu Paradisus erant.
Protraherentur ibi cum sacra negotia, rursum
 A nobis aliud mox reparatur iter.
 Nos Reiterus, & insignis Rosebergius heros,
 Ducunt per saltum docta Vienna tuum.
Hic nos Maurbachij uenerabilis excipit Abbas. Maur.
bach.
 Limina qui Claustrum monstrat aperta sui.
Qui Bauarum contra Ludouicum nomine quondam,
 Electus Cæsar Dux Fridericus erat: Ao C. 1321.
 Ut moriens tandem lumen uitale reliquit,
 Conditur hoc claustro conditor ipse suo.
 Hoc quater ante decem uastauit turpiter annos,
 Qui sua uastando nomina Turca tulit. Ottomanæ.
 Mœnia non paruo sed stant renouata labore, A. 13. 1. 1-p.
 Vulcani rapida ui labefacta prius. Turc. Ao.
 Mox petimus celeres pluuioso mœnia cœlo,
 Austriaco, Tulni, condita prima, solo. 1300.
 Birsingam, Traisumq; ægrè superauimus amnes,
 Auxerat hos pluiae turbidus imber aquæ.

Birsing. Traise. Postmod
Fleuryj.

Postmodo Maimigeri Nusdorphum scandimus arcem,
Quæ dedit hospitibus prandia grata suis.

Sacrum, monte, D E O, claustrum spectatur in alto,
Quo monachi uiuunt turba profana sibi.

Prouochimur Steinum, quod Cremse iungitur urbi,
Istrum per medium pons ubi præbet iter.

Vitisferos hinc Vuachauæ conscendere montes,
Atq; per angustas cogimur ire uias.

Semita Vueliskirchum donec ducebat, ad Istri
Flumina: ubi cantor uir Pomeranus erat.

Affinis Superintendentis doctissime Rhodi, pañel Wij
Rhodi. Bir

Istini oppidulum sanceti Michaëlis adimus,

Finitis C H R I S T I mane sed ante sacris.

Perfpectæ fidei, nec non uirtutis amicus,

Quo sua uir præstans tecta, Seuerus habet.

Est qui Saxoniæ celebri generatus in urbe,

Moenibus è cuius uirago uidet.

Floribus inuictis, cultuq; ornata decoro,

Quæ simul in dexira florida ferta gerit:

Totius imperij quæ, iuncta potentia quamuis,

Illius haud potuit diripiisse manu.

Talibus ante dies paucos ex urbe Vicenna,

Noster in hunc breuiter scribere suafit amor.

Quam legis Edlingus tibi mitto, Erneste, salutem,

Qui te non dubio semper amore colo.

Vt ualeat insignis Doctor pietate Chytraeus,

Ip̄sius & comites forsitan ipse rogas;

B _ 6

Incolua

+
N
do

4
Ste

46

47
S. Mi

Magdab
gen/s

Ad. 155

Incolumem ducit C H R I S T O sit gloria uitam,

Nos etiam simili sorte ualere scias.

Non onerabo tuas multis rumoribus aures,

Hoc tantum statui significare tibi.

Nona, ubi lux splendet uicesima mensis in orbe,

Qui uetus à primo Cæsare nomen habet.

Est bis Cæsarea cum maiestate locutus,

Qui te fraterno corde Chytræus amat.

Plura quidem possem uarijs tibi scribere rebus,

Sed tibi iam tempus scribere plura uetat.

Nil mihi rescribas Antoni culte Seuere,

Esto Mercurius sed precor ipse, uale.

Donat ei clarus librum uirtute Chytræus,

Hæc in quem propria scripserat ille manu.

Hunc à Chytræo facunde Seuere libellum,

Exiguum magni pignus amoris habe.

Confilio cuius uigili Vuachauia gaudet,

Ex cubijs seruet quam D E V S ipse suis.

Cuius & in librum Spiz.e sexdisticha, ueram,

Propter amicitiam, dextera nostra notat.

69. DISTICHON hoc Ernesto tVVs tibi fecit E D LINGVS,

SeXTA vt LV Ce qVater IanVs In aXe fVlt.

Hoc anni ueluti numerum docet atq; diei,

Hæc mea scribebat dextera quando manus.

Sic etiam Antoni simili ratione Seuere,

Perpetuus nostri testis amoris erit.

Nos licet exiguum damus, & sine pondere munus,

Hoc tamen ingenui signa fauoris habet.

Magnos

Magnos magna decent, dant maxima munera magni,
Hisq; student animum significare suum.

Nos damus econtra nostram testantia mentem
Carmina quæ placida suscipe mente precor.

Pastor in oppidulo nos suauiter excipit omnes,
De cœro pernam tuq; Seuere dabas.

Hinc uetus hospitium nos rursum Spiza recepit,
Signaq; lætitiae nos rediisse dedit.

Et tibi Sualbachij confecta domestica cura,
Ædibus ut fuerat docte Ritere tuis.

Flumine Danubij descendimus inde secundo,
Ad portas iterum nota Vienna tuas.

Mille iacet passus Cecius mons urbe Vienna,
Cuius inesse polo penè uidetur apex.

Pannoniæ fines olim qui limite clausit,
Si modo credendum sit Ptolemæe tibi.

Quem fecit celebrem scurrilis & iste sacerdos,
Qui sua de Caluo nomina monte tulit.

Hunc duce Vuidmanno, simul & comitante Rodensi,
Lustramus: uates doctus uterq; fuit.

Quæ nitet argento solidò mox uidimus urnam,
Relliquis etiam Dux Leopolde tuas.

At nobis mora longa fuit, cupidosq; reuerti
Fecit & ad patrios uelle redire lares.

Nam quidam interea Byzantia tecta subire,
Et tantas poterant ire, redire uias.

Splendida Turcarum legatio tempore nostro,
Aduenit, magno concomitata grec.

4
Sp

Schn
6 a.

4
K
6

Lega
Vatis

vatis & hic nobis Schofferi scripta dabantur,
Schofferi propria scripta notata manu.

Qui mihi Francforti studijs, & amore faucauit,
Et mihi plus alijs semper amicus erat.

Clausæ sed optato sunt fine negotia tandem,
Quæ nos Austriacis detinueré locis.

Et rediisse domum nobis permissa potestas,
Quatuor adiuncti sunt comitesq; uiae.

Gente Sigismundus Leisera natus, in acrì
Quem frater sequitur Maximilianus equo.

Et Spanus Vngaricas qui noster ductor ad oras:
Atq; Zehendner æ firma columna domus.

Luce ter Augusti quinta, reuerenter amicis,
Ante salutatis, mox renouamus iter.

Postera cum gelidas Aurora remouerat umbras,
Diximus in curru cara Vienna uale.

Atq; Neapolcos superatis pontibus Istri,
Hospitium nobis prandia lœta dedit.

Est hic fertilitas genialis ubiq; locorum, Kornwesth.
b. orgk.
Vnde suum urbs etiam nomen adepta tenet.

Arx non magna cui tribuit Clementia nomen, Güting.
iglos. Cum dubia coena, præparat inde torum.

Nobilis Enzdorffí mater dominatur in illa,
Quam decorant uirtus, & pictatis amor.

Linquimus Austriacos cito fines luce sequenti,
Tangimus & fluuij Deia fluenta tui.

Pulchram Moraviae Znemam concendimus urbem,
Quæ iacet in montis conficienda iugo.

Quia. zuam. Pastor

Pastor ubi Socoloninus quodq; Syndicus adsunt,

Et nos alloquijs, officijsq; iuuant.

Hic nos assequitur Merclius syndicus urbis,

Quæ sua uirginea nomina ab arce tenet.

Hic ualedixisse nobis ubi culte Ritere,

Proxima Trebitium semita monstrat iter.

Templa, quibus sacra Vualdenses docuere, subire

Prorsus imaginibus quæ caruere, iuuat.

Polna Modestini, pariter Palamedis amorem,

Conciliat primum docte Chytræ tibi.

Montibus accepit uallata Boëmia, saluos

Nos reduces, postquam Polna relicta fuit.

Brodam, & zasluiam percurrimus, inde fodinas

Cutheni montis lamina nostra uident.

Prandia Colinum, dat Broda Boëmica coenam,

Post iterum nostros Praga recepit equos.

Hic ueteresq; nouiq; simul luctantur amici,

Quod tandem incolumes nos redisse uident,

Te Baro Grisbachius, clarusq; Popellius heros

Marscalcus regni, clare Chytræ uocant.

Atq; Palæologus Græcorum sanguine cretus

Induperatorum, gaudet adesse tibi.

Vifimus iniicti speciosos Cæsaris hortos,

Quos modo pro merito non celebrare licet.

Yuelberium uenimus, Pragamq; relinquimus ipso,

Quæ tibi sacra fuit, Bartholemæ, die.

Hinc Leutmaritium curru properante uolamus,

Piscifer immensa qua fluit Albis aqua.

Die Bartholomei.

Illis terra locis est uino, frugibus, herbis,
Fructibus omnigenis, arboribusq; ferax.

Mrazius, Heniochus, nobisq; Desingius ad sunt,
Hi simul & longum nos comitantur iter.

Ardua post Cninci superamus culmina montis, Czminz.
Vrbis ut Aussiacæ tecta relicta iacent.

Nosq; duas tenuit Petrosyluia longa per horas,
Birna torum notis hospitibusq; dedit.

Heu Luterbachium fato clausisse labores Lauterbach
mortuus.
Interea, hospitijs Scipio rector ait.

Vt conspecta fuit nobis iam Dresda secundo,
Nomine maiorem mox superamus Hanum.

Hinc nos Elysiae uia parua per oppida duxit,
Pons tuus ut primum tactus Elister erat.

Post ad Cœnobium, pulchro cui nomina luco,
Gens Heneta, antiquo tempore, clara dedit.

Marchio Misniacus Didericus condidit illud,
Qui fuit ut bello sic pietate potens,

Auctor qui Dedoni fratri quoq; condere Cellas,
Exitit, ad ripas aduena Molda tuas.

Parthenopæe tui præsul cito mœnia Dami
Assequimur, fessos sol ubi condit equos.

Oppidulis Berito, Mediasyluaq; relicta,
Nos uidet urbs sedis Marchio clare tua.

Quæ gerit antiquum uicina nomen ab arcto,
Lumen ut Augustus clausit in orbe suum,

Auratos Equites te fama creasse canebat,
Sacra præterito Solis in æde die.

Arx munita patet nobis quia Suceus Huelo.

Confluit, Aegidij lux ubi clara nitet.

Inde per attritas curru luctamur arenas,

Marchiaci Rheni donec adimus aquas.

Linquere Bellinum Phœbo surgente placebat,

Vuistochium rectam uersus et ire uiam.

Luce sequente Ducis Plauæ succedimus urbi, **plaga?**

In clypeo nigri qui gerit ora bouis.

Gustrouium uenimus, pulchram miramur & arcem,

Huldrici celebris Marte, togæq; Ducis.

Vrbs tandem incolumes recipit nos clara Rosarum,

Laus sit in æternum maxime C H R I S T E tibi.

Saluum mox nobis redditum gratantur amici.

Læta sed in primis, hoc, schola tota fuit.

Vrbsq; fatigatos propter Rosiana caballos,

Austriacos, totos detinet octo dies.

Cum quibus ad littus cœlo iuuat ire sereno,

Quod quatit horrisonis Baltica Thetis aquis.

Vuarnouij in portum Borea spirante uidebant,

Veliuolas magna ui uolitare rates.

Mirati medium qua nam ratione per æquor,

Sic possent certam nauem tenere uiam.

Indice, qui nigro tinctus magnete, carinas,

Fluctibus in medijs sed didicere, regi.

Luce ter in patriam quinta Septembribus abibant,

Austriaci, quorum tu D E V S esto comes.

Et procerum mentes reliquorum flecte, gubernas,

Numine cœlesti tempus in omne tuo.

Dd

Da precor Austriacis incepsum nuper in oris,
Crescat ut assidue religionis opus.
Namq; ibi seruasti tibi millia multa, Baalis
Qui non Ausonij dogmata falsa probant.
Transcat haec pietas ad eorum C H R I S T E nepotes,
Te pia ut aeternum posteritate colant.
Nunc iniuste D E V S restat tibi soluere grates,
Inde meis istam carminis ipse stylum.
Nos quod inoffenso duxisti tramite tantam
Infissisti incolumes quod remeare uiam.
Cum prope Zasluiam curru non absq; periclo
Decido, protector tu mihi solus eras.
Per reliquum uitæ tempus uelut ante fuisti,
Sis precor umbraclum C H R I S T E benigne meum.
Tunc dabo pro meritis gratæ tibi munera laudis,
Dum linguae potero plectra mouere meæ.
Hec loca sunt Henninge tibi notissima quamuis,
Ordine que celebro uersibus ipse meis.
Nec tamen iniucunda tibi meminisse, secundo
His numeris eadem cum quasi cernis, crunt.
Notius Vngarica tibi quid regione? Vienna
Quid tibi? quid Praga notius esse potest,
Cum Iohanne tibi Friderico fortiter illuc,
Namq; sequi placuit Cæsaris arma, Duce.
Et pro laude D E I dulcem profundere uitam,
Pectore magnanimo promptus uteq; fuit.
Insuper & Pragæ, uos Cæsaris aula Viennæ,
Per multos uidit non sine laude dies.

Fallor

Fallor? an ille tuus Dux illustrissimus, ipsi
Ocia cum fuerint, carmina nostra leget.
Forte leget, dum nota ipsi sunt omnia, constant
Quae refero, ueluti uir generosus tibi.
Adde quod et uates, et mirè carmina uatum,
(Est quia Dux etiam carminis auctor) amat.
Quod decuit Reges quondam, summosq; Monarchs,
Exemplo ductus non sibi turpe putat.
Cum Ducibus Pomeraniacis, Henninge, precamur,
Magne Gubernator uiue ualeq; tuis.

ΠΡΟΡΕΜΠΤΙΚΟΝ
SCRIPTVM HONESTO
IVVENI, PIETATE, ERVDITIONE
& virtute ornato, Domino IOACHIMO
EDELINGO Pomerano, cum Rostochio in
comitatu Clarissimi viri D. DAVIDIS
CHYTRAEI Anno 1568. die 3.
Decembris in Austria
proficisceretur.

A

JOHANNE BATHELIO
COSVELDIANO.

DVM

DVM petis Austriacæ loca fertiliora
Viennæ,
Rellinquēs Roseæ docta Lycea scholæ.
I felix Ioachime bonis precor utere fatis,
Te D E V S, & Phœbī cura secunda
regat.

Magni consilij qui dicitur Angelus, aura
Felici faciat carpere semper iter.

Atq; ita conatus studiorum dirigat omnes,
Ut redeas nostræ gloria magna scholæ.

Dirigat ille tuos cunctos feliter actus,
Ut redeas patriæ lausq; decusq; tuæ.

Ut superes uirtute tuum uel laudibus æques,
Nobile, quod fato nomen Edlinge, geris.

Et aliquid claro, celebriq; à sanguine nasci,
Et tactare sui nomina clara patris.

Sed quem commendat formoso in corpore uirtutis,
Hæc est nobilitas, ueraq; fama uiri.

Gloria sic petitur, sic laus, sic nobile nomen,
Haud alijs poteris nobilis esse modis.

Macte igitur uirtute animi suadente Minerua,
Exornes nomen nobile, Edlinge tuum.

Sed (quia festinas) ne te fortasse retardem,
Cum Davide tuos impediamq; gradus.

Vade bonis auibus, Musarum strenue cultor,
Et tecum ducas ex Helicone Deas.

Magna quidem Ioachime tibi laus inde paratur,
Quod tibi Chyträo contigit ire comes.

EA

Est qui Teutonicae decus indelebile gentis,
Et simul est Roseæ maxima fama scholæ.
Cuius ab ore fluit prædiuite flumine sermo,
Qualis doctiloqui uel Ciceronis erat.
Quem penes est triplicis, flos omnis, et ardua lingue,
Gloria, quem merito secula nostra colunt.
A quo sunt omnes latices, fontesq; beati,
Gustati Aonidum Pieridumq; simul.
Adde quod et uobis doctus coniungitur una,
Poffelius, nostræ laus quoq; magna schole.
Carmine qui docto, non Græcis uatibus impar,
Mœonijs decorat clara Roseta sonis.
His loachime uale longum uale dulcis amice,
Sis memor usq; mei, sum memor usq; tui.
Et doctor duxit uobis sit CHRISTVS IESVS
Dirigat et felix omnia cæpta uiae.
Dis te Edlinge meis uotis comitabor cunctem,
Que summus faciet pondus habere DEVS.

ELEGIA
AD CLARISSIMVM VL
RVM, D. DAVIDEM CHYTRAEV
Vienna Pannonie discessum parant
tem, scripta à
PAVLO FABRICIO LAVBENSI,
Cesareo Mathematico Medico Doctore.

ERGO



R G O iter ad caros quod te CH Y^a
T R A E E penates

Per multa optatum uota reducat, ini^se
Et tibi grata domus magis est quam C^a
saris aula?

Et tua quam nostra est urbs tibi grata magis?
Ne propera, sancta hic hic sancta negotia tractas,

Quæ grauat hic humeros sarcina, sancta grauat.
Condita relligio est illic, nec deficit ordo,

Hic male rebus abest (proh dolor) ordo suis.
Sed quia conscriptus tantorum est ordo laborum,

Nonne (ait) ire domum Pannonis ora sinat^e
Letor te scriptis monstrasse fidelibus illum,

Et bene sic opera consuluisse tua.
Non properas igitur laribus quia tempore longo

Nunc abes, aspectu qui caruere tuo.

Non properas fateor : sed cur properare uideris?
Et breuis unde mihi, quæ mora longa tibi est ?

Nunquid amicitiae facit hoc integrior usus ?

Candidiorq; animus cum pietate tuus ?
Ingenij dotes & dux prudentia rerum

Nunquid doctrinæ copia rara facit ?
Causa liquet certè, cur te properare querendo

Temporis includam te breuiore mora.
Si mihi Menalij custodia cardinis esset,

Possit ad arbitrium uel polus ire meum.
It uelut ille mihi cum sepe domestica spectans,

Sydera in exiguis uoluo revoluo globis.

VII

Vna dies spaciū multorum æquaret, in unam
Conferrem multas per mea regna dies.
Quid tamen hæc opto? uotis ratione coactus
Cedo, nec optatis obsequar uisq; meis.
Nil quia uota ualent & tempora oportet amico
Nempe reuertendi iusta fauere domum.
Dictum à torquendis tamen organon orbibus à me
Pignus amicitiae uile capesse mee.
Atq; domi incolumes cara cum coniuge natos
Palladium letus conspicioq; Scholam.
Principis ora redux, cum mœnibus urbis, amicos
Atq; alia aspicio, quo cupis esse statu.
i q; iter hinc etiam per Lipsica rura reducat
Dic præceptoris nomine grata meo,
Nomine grata meo C A M E R A R I V S audiat, huius
Ille tibi socius namq; laboris erat.
Sed quia tristis hyems, & te uia longior isthinc
Serius admisit, cesserat ille domum.
Que tamen hæc poteram quando hinc discederet ipsi
Tradere, fac per te carmina nostra legat.
Lætus abi atq; uale, nec res tibi tristior ulla
Susceptum Christo sub duce tardet iter.
Et quia doctrinam diuini hoc tempore Verbi
Ore petit Sathanæ feruidiore furor.
Liuor & in partes uarie contrarius (huc nunc
Dum trahit hic, illuc retrahit ille) secat.
Distrahit & studijs uulgas, causamq; superbis
Dat male de tota religione loqui.

Perturba

Perturbatq; Dei regnum uenerabile rixis,
Vulneribus C H R I S T V M dilaniatq; nouis.
Huc precor huc animum Chytræe aduerte , nec illam,
Quam benè soluisti, non moderare ratem.
Si quid adhuc superest (uelut est) non ergo fidelem
Quando opus est operam uir studiose nega.
Quam benè cœpisti nec desere texere telam,
Utilis haec nobis, grata futura Deo est.


F I N I S.



Liget Hoderoviaco Iaco.
bi misyli, et Georgij
Sabini.







VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset

5
ster GmbH www.yxymaster.com

W X Y Z

CARMINA CO-
MITATIVA,

Suavi quà mentem , quà
mores elecentiâ egregijs.

S A F E L I

R O S
Typis Ferbo

A N N O c i s i



Ca - 1522